

neptem ex filio, pronepotem, seu proneptem, ceterosque, itidem per masculini sexus personas, continua generis linea sibi conjunctos, &c. Ex quibus verbis destruantur quamplurima, quæ contra feminam in præcipuo hujus capituli dubio statuant Peregrinus, & alii per ipsum relati; quod ex eisdem constat aperte, & evidentius confirmatur ea, quæ numeris præcedentibus annotavimus: nec ab eis videtur dissentire ipse Molina si attentè prælegatur, lib. 3. dist. cap. 5. per totum; quamvis locis antea relatis, contra feminas tenuerit, ut supra diximus.

CAPUT III.

De Promissione obligationis futuræ.

Joannis Andreae sententia in addit. ad Speculat. in tit. de obligat. & solut. in princ. super rubr. colum, 1. quod promittens se obligaturum ad decem intra certam diem, die adveniente, conveniri possit statim, ac si de præsentibus obligasset: quia inutilis circuitus est vitandus; an, & in quibus terminis procedere possit? Ubi quæ ab aliis hæcenus scripta sunt, breviter, & dilucidè recenseatur; legibus hujus regni applicentur; & nonnullis distinctè magis, quàm antea erant, adnotatis, res ista brevitate, & distinctione explicatur.

SUMMARIUM.

- 1 Promittens se obligaturum ad decem intra certam diem, die adveniente, statim conveniri potest, ac si de præsentibus obligasset; quia inutilis circuitus est vitandus: idque ex sententia Joannis Andreae, quæ num. seqq. exornatur, ac verè, & singulariter declaratur.
- 2 Joannis Andreae sententiam, permultos, & gravissimos quidem juris Auctores sequutos, qui hoc numero, & seqq. præcitantur.
- 3 Tiraquelli diligentiam, in congerendis utriusque partis, tam superioris Joannis Andreae, quàm alterius illi contrariæ, decisionibus, rationibus, & Authoribus, non contemnendam; laudandam potius, & notandam.
- 4 Is enim Auctor, omnia fere, quæ ad sua usque tempore scripta erant ab aliis, studio & labore congeffit in unum, ac multa adduxit, quæ utramque partem, & confirmant, & dubiam etiam reddunt.
- 5 Altercationi & contrarietati Doctorum in questione superiori, initium, aut occasionem tribuisse Decium: & enim studio contradicendi aliis, dicit illud dictum Joannis Andreae semper visum fuisse sibi dubitabile, & cum aliis Authoribus impugnat illud.
- 6 Et Decium sequuntur quamplures, qui referuntur ab aliis, & copiosè per Rolandum, qui hoc numero præcitantur.
- 7 Decii fundamenta contra dictum Joannis Andreae, reduci ad quatuor, prout hoc numero adnotatur.
- 8 In proposito, & præcipuo hujus capituli dubio, legendos omnino nonnullos Auctores, qui hoc numero, & seqq. præcitantur, & modo unam, modò aliam sententiam sequuntur; sed Joannis Andreae partes magis communiter juvant.
- 9 Rolandum, in cons. 69. ex num. 1. usque ad num. 27. volum. 3. & eruditè loquutum, & veram hujus dubii resolutionem assequutum.
- 10 Joannis Andreae sententiam, intellectam in terminis, in quibus ipse loquitur verissimam quidem esse, & tenendam omnino, idcirco meritò probasse eam infinitos Auctores; & contrarium tenentes decipi manifestè.
- 11 Ad quod dicendum movetur Auctor rationibus, au-

thoritatibus, & decisionibus congeffis à Tiraquello, loco, & numero hic præcitantur.

- 12 Deinde fundamentis Ruini, Hermanocii Det. Socii, & Rubei Alexandri.
- 13 Ac denique ratione adducta per Rolandum, post alios ab eo relatos, quæ verè facit, & concludens est, prout hoc numero adnotatur.
- 14 Decii solutionem, contra rationem Joannis Andreae de circuitu vitando, rectè subverti, prout hoc numero demonstratur.
- 15 Decii fundamentis contra doctrinam Joannis Andreae, ideo respondere noluit Auctor hoc loco, quod plene respondeant nonnulli Auctores, qui hoc numero præcitantur.
- 16 Joannis Andreae dictum, de quo supra ex num. 1. reddi certius hodie ex decisione l. 2. tit. 16. lib. 5. novæ collectionis Regiæ, dum probat lex illa, quod qualitercunque consiterit, aliquem se velle obligare, remaneat obligatus, prout hoc numero adnotatur cum aliis.
- 17 Blasii Flores Diaz de Mena, in addit. ad decis. 13. Gamæ, num. 4. novissima resolutio in hac materia, novè expenditur, & probatur, & Rolandi, Auctoris, & aliorum resolutioni applicatur.
- 18 Joannis Andreae doctrinam, in aliis terminis intellectam, periculosam esse, nec tenendam quidem: idque per rationes, auctoritates, & decisiones Doctorum tradita à Tiraquello, & aliis, qui hoc numero recenseantur.
- 19 Maxime in promissione de vendendo; in qua verius est promissionem differre ab ipsa venditione, nec promittentem vendere certo pretio, dici posse jam vendidisse.
- 20 Et inter hunc casum, & Joannis Andreae casum veram rationem differentie reddidisse Rolandum, ad quem remittit se Auctor, & ad nonnulla infert hoc numero remissivè.
- 21 Promittens vendere feudum, vel rem emphyteuticam, non cadit à jure suo, licet caderet, si irrequisito domino alienaret.

Quoniam frequenter contingit in nonnullis casibus dubitari, vera sit, necne, decisio quedam, ut singularis traditio Joannis Andreae in addit. ad Specul. in tit. de obligat. & solut. super rubrica, col. 1. quod is qui promittit se obligaturum ad decem intra certam diem, die adveniente, conveniri possit statim, ac si de præsentibus obligasset; quia inutilis circuitus est vitandus: & in hac re tanta est confusio, sive contrarietas, aut altercatio Doctorum, ut vix certum quid, aut firmum deducere possis, si infinitos, etiam attentè, atque originaliter prælegeris; non absque utilitate putavi, sed potius jucundum lectori futurum, si omnia latiori disputatione (id quod consultò faciam) eos Auctores in unum recenserem hoc loco, qui latius, & distinctè magis tractarunt, ac demum dilucidè magis, quàm antea erant, adnotatis nonnullis, sententiam meam in medium proferrem: & ut alia prætermittam.

In primis constituo, præfatam Joannis Andreae sententiam, permultos, & gravissimos quidem juris Auctores sequutos, Romanum, Alexandrum, Socinum, Jafonem, Pyrpuratum, Carolum Ruinum, Lancelot. Gal. Hermanocium Det. Matthæum Afflicis, Gozadinum, Rubeum, Zafium, Boerium, & Chaffaneum, quos congerit Tiraquellus de retractu conventionali, ad finem tit. num. 26. quibus cum Grammatico, Covar. & Tello Fernandez, adhæret Matienzum in leg. 6. tit. 6. Glos. 7. num. 3. lib. 5. novæ Collectionis Regiæ, Rolandus, Joannes Franciscus de Ponte, Azevedius, Parladorius, & alii, quos statim referam, & novissimè, multoque post hæc à me scripta, Andreas Fachineus controuv. juris lib. 2. cap. 7. ubi dicit hanc sententiam frequentius receptam & probabiliorē esse, quàm contrariam: Bonifacius Rogerius in cons. 15. num. 51. lib. 2.

Secundò constituo, Tiraquelli diligentiam in con-

gerendis

gerendis utriusque partis, tam superioris Joannis Andreae, quàm alterius illi contrariæ decisionibus, rationibus, & Authoribus non contemnendam; laudandam potius, & notandam.

Is enim Auctor ubi supra, num. 26. usque ad num. 62. omnia fere, quæ ad sua usque tempora scripta erant ab aliis, studio & labore congeffit in unum, ac multa adduxit, quæ utramque partem & confirmant, & dubiam etiam reddunt: idcirco, qui ex proposito velit hujusce rei disceptationem inquirere, necesse habebit omnino legere illum.

Tertiò constituo, rem hanc difficiliorem reddidisse, & altercationi, contrarietati que Doctorum in questione superiori, initium, aut occasionem tribuisse Decium: is enim studio contradicendi aliis (ut dicit Antonius Thefaurus, quem statim referam) dicit illud dictum Joannis Andreae semper visum fuisse sibi dubitabile multis rationibus; & cum nonnullis Authoribus impugnat illud: & in sententiam Decii inclinant alii relati ab his quos statim adducam, & eos recentem Grammaticus decis. 103. ex num. 187. Rolandus in cons. 69. n. 25. in vers. 2. respondetur, lib. 3. Fundamenta autem Decii contra doctrinam Joannis Andreae principaliter reducuntur ad quatuor, quæ sunt in effectu ea, quæ adducit Tiraquell. ubi supra, num. 42. per totum. latius Hieronymus Butijela in repetit. §. Cato, leg. 4. ff. de verborum obligationibus, num. 51. & 55. quæ habetur Repetitionum Juris civilis volum. 6. fol. mihi 232. & ibidem Carol. Ruinus n. 26. 27. & 28. eodem vol. fol. 280. Hermanocius Det. ex num. 132. cum multi seqq. fol. 299. in eodem vol. & Marian. Socinus junior, ex num. 64. usque ad num. 70. in eisd. repetit. fol. 324. & novissimè Andreas Fachineus controversiarum Juris lib. 2. cap. 7.

Quartò constituo, in proposito, & præcipuo hujus capituli dubio legendos omnino sequentes Auctores, qui modo unam, modò aliam sententiam sequuntur, sed Joannis Andreae partes magis communiter juvant: relatos supra, num. præced. maxime Repetentes in dict. §. Cato. Covar. in cap. quomodo pactum, de pactis in 6. in initio 3. p. n. 3. Boerius decis. 3. & 183. Marfil. Singul. 469. Grammaticum decis. 103. num. 19. & n. 187. 188. & seqq. Avendannum responso 27. num. 2. Petrum de Moncada, in addition. ad Gozadin in leg. 2. num. 32. litera, A. C. de pactis inter emptorem & venditorem. Aleium in cons. 18. n. 5. & 6. & in cons. 117. Rolandum in cons. 69. ex num. 1. usque ad num. 27. vol. 3. qui eruditè loquitur, & vera hujus dubii resolutionem assequitur: Caballin. milleloquio 201. Max. Anguissol. in cons. 71. n. 5. Petrum Antonium de Petra de Fideicommissis, quest. 8. ex num. 135. usque ad num. 184. Matienzum in leg. 6. tit. 6. Glos. 7. per totum, lib. 5. novæ Collectionis Regiæ, Azevedium in leg. 2. tit. 16. eod. lib. 5. Parladorium rerum quotidianarum lib. 2. cap. finali 1. part. §. 11. ampliat. 6. Cephalum in cons. 66. num. 20. & 21. lib. 1. Menochium in cons. 92. n. 1. & seqq. & num. 42. in fine, & in cons. 1. ex num. 232. lib. 1. & in cons. 147. num. 10. lib. 2. Bursatum in cons. 100. num. 1. & 11. lib. 1. Sardum in cons. 52. n. 66. & seqq. lib. 1. & in cons. 201. per totum, maxime n. 14. 15. 16. in fin. & 17. lib. 2. Amadeum à Ponte, Laudimialium questionum quest. 35. Antonium Thefaurum decis. Pedemontana 233. per totum. Marcum Antonium Eugenium in cons. 7. num. 13. & 14. lib. 1. Cald. Pereir. in l. si curatorem habens, in verbo, contractum fecisti, num. 28. C. de integritate restitutione Hippolytum Riminaldum in cons. 51. num. 11. vol. 1. Seraphinum de privil. juramenti, privil. 23. Joan. Francisc. de Ponte in cons. 10. a num. 21. & in cons. 85. per totum, & in cons. 86. num. 25. & tribus seqq. vol. 1. Vincent. Caroc. de locato, & conducto, q. 1. de promissione locandi per totum, fol. 48. & quest. 2. de locatione emphyteuticæ, fol. 89. Crotum in cons. 12. n. 7. & 8. Ripam lib. 3. de donat. resp. 12. Corletum in singularibus suis, verbo, Pactum, 2. Julium Clarum lib. 4. §. donatio, quest. 14. num. 6. ubi singularem resolutionem tradit in hac materia, Rubeum Alexandrum in cons. 29. n. 5. Mo-

dernum in consuet. Paris. tit. 2. §. 55. Glos. 1. n. 8. ubi in proposito profert verba nonnulla maximi ponderis, & notanda; Pinellum in l. 2. C. de rescindenda venditione, 2. part. cap. 3. num. 29. & 30. Cavallos, prætic. commun. quest. 209. qui prædictos non refert.

Quintò constituo, Joannis Andreae sententiam intellectam in terminis, in quibus ipse loquitur, verissimam quidem esse, & tenendam omnino, idcirco meritò probasse eam infinitos Auctores, ut constat ex relatis supra num. 1. & num. 8. & 9. & contrarium tenentes decipi manifestè. Ad quod dicendum moveor in primis rationibus, auctoritatibus, & decisionibus congeffis à Tiraquello de retractu conventionali ad finem tit. ex num. 26. usque ad n. 42. Deinde fundamentis Ruini, Hermanocii Det, Socii, & Rubei Alexand. quos statim referam, & retuli supra, num. 7. ac denique ut alias sciens, consultoque prætermittam, ratione adducta per Rolandum in cons. 69. n. 25. vers. Tertio respondetur. vol. 3. dum dicit, & refert alios sic tenentes; quod ubi quis promittit de obligando se in centum, perinde est, ac si esset obligatus ad centum, eo quod interesse est statim liquidum, cum non possit esse minus centum: l. nummis. ubi Baldus, ff. de in litem jurando, & idè licet diceretur, quod contra eum tanquam obligatum non posset agi; tamen ex promissione de obligando se ad centum, qua tenetur ad interesse, tenetur ad centum, cum onus promissionis interesse non possit esse in plus: ut ergo vitetur circuitus, ob prædictam rationem nihil refert, an sit obligatus ad promittendum, vel censetur promississe, cum utroque casu debeat idem, nec augeatur, vel minuat obligatio: ex quo subverti potest solutio Decii in l. cum fundus, §. servum tuum imprudens, in princ. ff. si certum petatur. is enim, ut diluat rationem Joannis Andreae de circuitu vitando, dicit non ob stare jura, quæ jubent vitandum circuitum; & respondet procedere illa dumtaxat in casibus expressis à jure, & non in aliis. Sed, ut vides, qui hoc interest, cum etiam in casibus non expressis, ex paritate, aut majoritate rationis procedere debeant, ut sunt vulgata, & communes resolutiones Doctorum; maxime in casu proposito, in quo negari non potest, quin promittens, cum effectu voluerit se obligare ad quantitatem expressam, & promissio ipsa, aut obligatio æqualiter se habent, nec unum importat plus quàm alterum, ut supra dixi. Nec etiam in contrarium urgent Decii fundamenta contra eundem Auctorem, quibus sciens, consultoque respondere nolui hoc loco, propterea quod plene responderet, & ab illius impugnationibus eleganter tuetur Joannem Andreae Hermanoc. Det. in dict. §. Cato, ex n. 132. usque ad num. 143. & ibidem Ruinus ex num. 26. Marianus Socinus junior ex num. 64. usque ad num. 70. Rubeus Alexand. in cons. 29. ad quos Lectorem remitto: & vide omnino Andreae Fachineum controversiarum Juris lib. 2. cap. 7. & 8. qui etiam fundamentis Decii respondet; sed tacet Auctores prædictos.

Deinde animadverto, prædictam doctrinam Joannis Andreae. reddi hodie clariorem ex decisione l. 2. tit. 16. lib. 5. novæ collectionis Regiæ, dum probat lex illa, quod qualitercunque consiterit, aliquem se velle obligare, remaneat obligatus, nulla admiffa exceptione. Quod rectè annotavit Azevedius ibi num. 7. Et confirmatur aperte ex dictis per Rolandum ubi supra. Joan. Parlat. rerum quotidianarum, lib. 2. cap. finali 1. part. §. 11. ampliat. 6. fol. 152. ubi præfata doctrina motus principaliter, resoluit, quod instrumentum executioni mandari debet, non solum si ipsius verba præ se præsentem ferant effectum, sed etiam si in futurum concepta fuerint: veluti, exempli gratia, promissu publico instrumento facturum me intra certam diem obligationem pro centis, tunc si lapsa sit dies, poterò statim sine alia obligatione ex instrumento illo conveniri. Quæ resolutio confirmatur apertius ex his, quæ scribunt Rolandus decis. 69. ex n. 25. L3. Joannes Franciscus de Ponte in cons. 10. num. 21. lib. 1. & novissimè Blasius Flores Diaz de Mena in addit. ad decis. 13.

decif. 13. *Game*, num. 4. fol. 19. col. 3. quo loco prædictus Author Tiraquellum, & Thesaurum dumtaxat refert & in proposito nostro dicit veram resolutionem esse, quod quando contractus in substantia nihil aliud continet, quam contineat promissio, iudicatur promissio ex æquitate ut contractus, ut vitetur inutilis circuitus: quod est verum, & in effectu idem, quod cum Rolando superius diximus, quem tamen non refert ipse. Quando verò contractus addit supra promissionem, vel in modò, vel in accidentalibus aut substantialibus, valde differunt; tunc promissio non iudicatur ut contractus, licet ex promissione compellatur quis ad faciendum contractum: quod etiam est verum; & confirmatur ex his, quæ dicentur statim: tradit etiam superiorem resolutionem, sed Azevedium non refert, Cævallos *diçt. quæst.* 209. num. 2.

- 18 Sextò & ultimò constituo, Joannis Andreae doctrinam in aliis terminis intellectam, periculosam esse, nec tenendam quidem: idque per rationes, auctoritates, & decisiones Doctorum traditas à Tiraquello *de retractu conventionali, ad finem tituli, ex num.* 42. usque ad n. 62. Rolandum *diçto conf.* 69. ex num. 25. cum seqq. vol. 3. Menochium in *conf.* 92. n. 1. & quinque seqq. vol. 1. Marcum Antonium Eugenium in *conf.* 7. num. 13. & 14. lib. 1. Joannem Franciscum de Ponte in *conf.* 85. per totum, vol. 1. Vincentium Carocium, & alios locis, & n. relatis supra num. 8. & 9. maxime in promissione de vendendo, in qua, licet alii multi aliter teneant, alii etiam pro concordia contrarietatum distinguant; ut plene ostendit Petra *de fideicommissis, quæst.* 8. ex n. 141. usque ad n. 160. verius crediderim, promissionem differre ab ipsa venditione, nec promittentem venditurum certo pretio, dici posse jam vendidisse: quod multis rationibus defendit Senatus Pedemontanus, ut firmat Antonius Thesaurus *decif.* 233. per totum Rolandus *diçto conf.* 69. n. 25. *verf.* 3. respondetur, vol. 3. ubi inter hunc casum, & casum Joannis Andreae veram reddit, & concludentem differentiam rationem, ut ibi videri poterit: & per Avendannum *responsio* 7. num. 4. ubi eruditè, & verè ostendit, promissionem de vendendo operari unum effectum tantum, hoc est, ad interesse, ipsam verò venditionem esse efficaciorè contractum, etiam ut tradatur res ipsa præcisè, si est in potestate venditoris: & sic, & nomine, & natura, & qualitatè multum distare inter se, quod etiam tenet Pinellus, & optimè declarat 2. *part. leg.* 2. C. de rescindenda venditione, cap. 3. n. 29. fol. mihi 186. latius, & plures effectus considerans Petra ubi supra, Joannes Franciscus de Ponte in *conf.* 85. num. 2. lib. 1. ubi num. 8. rectè probat per promissionem de vendendo non acquiri jus in re, Vicentius Carocius *de locato & conducto, quæst.* 1. de promissione locandi, num. 14. fol. 49. ubi superior resolutionem limitat, eleganter declarans eam, & insert ad alia similia, scilicet ad pactum, vel promissionem de donando: de qua omnes superius citati: Petra *diçta quæst.* 8. num. 164. ac cæteris elegantius Pinellus *diçt.* 2. *part. leg.* 2. C. de rescindenda vendit. cap. 3. n. 30. per totum fol. 189. cui convenire videtur Menochius in *conf.* 92. n. 42. in fine, vol. 1. insert etiam ad promissionem de locando, de liberando, & de fidejubendo, ut ibi videri poterit: & de promissione de renunciando legitimæ paternæ, vel maternæ, & renunciacione postea facta absque juramento. Vide Avendannum *diçt. resp.* 27. per totum, Cævallos *diçt. quæst.* 209. num. 3. & 4. & de omnibus prædictis latissime Petram ubi supra. Denique, nec in promissione alienationis rei feudalis, vel emphyteuticæ procedere potest Joannis Andreae doctrina, quippe cum diversa ratio militet, nec jura loquentia de circuitu vitando, extendi debeant ad hunc casum privationis, vel caducitatis: prout tenuerunt expressè multi congesti per Tiraquell. loco *supè* repetito, n. 44. & n. 45. & in terminis, quòd feudum, vel rem emphyteuticam alienaturum se & venditurum promittens, non cadat à jure suis: licet caderet, si alienaret, irrequisito domino, cum Alexandro, Baldo, Cardinali, & Afflictis defendit Joannes Franciscus de Ponte *diçto consilio* 85. per totum lib. 1.

Et de his hæctenus, de quibus penes prædictos Authores, latius videri poterit, cum occasio se offeret.

CAPUT IV.

De Fæminarum exclusione vel inclusione in major.

Fæminæ primogenitæ, qualiter ad Majoratus successionem admittantur, vel non; Propter masculos ejusdem lineæ, & gradus, aut etiam remotioris, quando excludantur, Agnationis conservandæ rationem, ex quibus videantur Majoratum institutores habuisse; Masculorum vocatio, quando in hominum dispositionibus censeatur facta agnationis conservandæ, aut prælationis inducendæ gratia; Qualitas masculinitatis in certis gradibus, substitutionibus, aut personis expressa, an, & quando in aliis repetita censeatur debeat, vel non, ubi de contrarietate consiliorum Abbatis, Ananiæ, & aliorum, accuratè, & plenius, quàm antea erat, tractatur; Deindè repetitio qualitatis, vel conditionis adjectæ præcedentibus, quando dicatur, vel præsumatur fieri ad sequentia; & qualitatum præcedentium repetitio, ex quibus causis, aut dictionibus, vel rationibus induci, aut cessare debeat, plena, & distincta manu tractatum proponitur: Authorem ferè omnium, qui hæctenus in proposito scripserunt sententiæ, & opiniones suo ordine, breviter tamen, & distinctè recensentur in unum; & multa dilucide, & noviter adnotantur per Authorem, quæ originali, & assidua librorum lectura digeruntur, nec erant ab alio huc usque sic explicata.

SUMMARIUM.

- 1 Dubia & quæstiones proponuntur, quæ in summano hujus capituli continentur, & quæ hic præcipue tractantur.
- 2 Utilitasque, & necessitas aerum commendantur.
- 3 Authores quamplures referuntur, qui quæstiones hujus capituli tractarunt, & infra num. 141. cum multis seqq. ubi infiniti congeruntur in unum, ac eorum specifica mentio fit suo ordine, ut ibi videri poterit.
- 4 Antonii Gabrielis in præfatis quæstionibus conclusiones congeruntur, & lectura originalis earum commendatur.
- 5 Modernum Paris. in hac materia eleganter, & utiliter loquitur, & de successione fæminarum cum masculis, in pari, vel remotiori gradu, & de dictionibus inducentibus tacitam repetitionem, multa necessaria, & notatu digna dixisse.
- 6 Ludovicus Molina laudatur, & ejusdem resolutiones circa quæstiones omnes hujus capituli commendantur, & de aliis Authoribus vide infra, ex num. 141. cum multis seqq. usque in finem capituli.
- 7 Masculinitatis qualitas, in uno gradu, vel substitutione aut parte testamenti adjecta, utrum in alteris repetita esse censeatur debeat; & multis numeris sequentibus.
- 8 Authores hujus regni, exteri etiam recentiores quamplures, in quæstione superiori scribentibus, notati per Authorem, quod paucis legibus, & rationibus moneantur, nec ad ea respondeant, quæ in contrariam partem urgere videntur.
- 9 Abbatis consilium 36. num. 3. lib. 1. expenditur, & sententia illius refertur, de qua per totum caput agitur.

10 Præca

De Fæminarum exclusione vel inclusione in Majoratu. Cap. IV. 17

- 10 Præcedentia declarant, sive determinant sequentia, & contra.
- 11 Una pars testamenti aliam declarat; & inde si verbum aliquod dubium sit, aut obscurum, eo modo intelligi debet, secundum quem reperitur in alia parte testamenti.
- 12 Voluntas testatoris in substitutionibus talis esse præsumitur, qualis fuit in institutionibus: unde sequens substitutio debet regulari & intelligi, secundum qualitatem prioris.
- 13 Unus gradus substitutionis alium declarat.
- 14 Ordo, datus inter primò nominatos, servari debet inter reliquos substitutos: quod, & diçta supra ex n. 10. intellige, ut declaratur infra, ex num. 101. cum sequentibus.
- 15 Fæminas proximiores qui excludit, posteriores etiam excludere velle multo magis credendus est.
- 16 Expenditur ratio l. si viva matre, C. de bonis maternis, & ad propositum illius nonnulla congeruntur remissivè, & vide infra num. 109. & 110.
- 17 Repetitio qualitatis præcedentis ob præsumptam testatoris voluntatem fieri debet, quæ alias non fieret.
- 18 Mutatio voluntatis præsumi non debet, maxime in continenti, vel in eadem dispositione: quod intellige, ut declaratur infra, num. 114.
- 19 Pelæx à Mieres notatus per Authorem, quòd in hac materia leges nonnullas expendat, quæ verè, nec Abbatis, nec Ananie sententiam possunt probare, & confusè inducuntur: & vide infra, n. 111. & seqq.
- 20 Legatum, in dubiis, videtur translatum in alium cum onere suo: & ibidem, quòd l. Caio, ff. de alimentis legatis, (quam expendit Mieres) Abbatis sententiam non probet; & vide infra, ex num. 115. cum sequentibus.
- 21 L. si tibi, cum l. seq. ff. de alimentis legatis, utrum à Mieres rectè potuerit pro Abbate, aut pro Anania ponderari? & latius infra num. 120. & 121.
- 22 L. Cum pater, §. ab instituto, ff. de legatis 2. quam adducit Mieres, utrum pro opinione Abbatis aliquo modo urgeat? latius infra num. 122. & seqq.
- 23 Clausula posita inter plura capitula, vel ante omnia, vel post omnia, ad omnia refertur: & vide infra num. 126. & 127.
- 24 Clausula generalis restringitur ad specificata, si plura fuerint.
- 25 Ananie *conf.* 22. num. 3. expenditur, & illius sententia refertur, quæ contraria est sententiæ Abbatis proposita supra num. 9. scilicet masculinitatis verbum, in una, seu etiam in pluribus partibus majoratus, aut dispositionis appositum, in alia ejusdem parte, ubi deest, suppleendum non esse, nec posse repetitionem induci.
- 26 Ludovicus Molina, ex mente aliorum, ad contrarietatem Abbatis, & Ananie, concordia relata, & per Authorem probata; & vide infra num. 100. & num. 136. & seqq.
- 27 Rationes omnes, quæ pro Anania excogitari solent per Doctores, ad quatuor reduci debent.
- 28 Commune Doctorum fundamentum pro opinione Ananie proponitur.
- 29 Testator censetur noluisse disponere, cum facile illi fuit, alia de re disponere, & non disposuit.
- 30 Testator hoc non dixit, hoc non expressit, ergo neque nos dicere debemus; vulgatissimum Doctorum assumptum, & multis confirmatum, & declaratum remissivè.
- 31 Simon de Prætis laudatur.
- 32 Testatoris, & cujuslibet alterius disponentis verba, in dubio ad intellectum juris communis referenda sunt.
- 33 Testator in dubio censetur cum dispositione legis, aut juris communis, se conformare voluisse.
- 34 Fundamentum secundum, quod pro Anania adduci solet, sumptum esse originaliter ex consilio Ancharam, 120. num. 4.
- 35 Legatum, fideicommissum, & omnis alia dispositio in dubio censetur pura, si in ea non inseratur dies, nec conditio; nec in dubio conditio præsumitur adjecta.
- 36 Dispositio conditionalis, vel potius pura, vel modalis, vel in diem, an, & quando præsumi debeat, accuratè, & utiliter actum per Menochium.
- 37 Præcedentia in sequentibus nunquam debent censeri repetita, quoties agitur de repetenda qualitate adversus dispositionem juris communis.
- 38 Diçta in uno capitulo, an, & quando, in sequentibus censeantur repetita, remissivè.
- 39 Diçta & disposita in una parte legis, an, & quando præsumantur repetita in alia parte, plene tractatum remissivè.
- 40 L. pater filium: §. fundum Titianum, ff. de legatis 3. contra opinionem Abbatis inducta.
- 42 L. sub conditione, ff. de hæredibus instituentibus, rectè ponderata per Decium contra Abbatem.
- 42 Clausula apposta in præcedentibus, in sequentibus repetita non intelligitur.
- 43 Dua leges inducta contra Abbatem.
- 44 Conditio adjecta uni gradui, vel personæ jam nominatæ, non censetur repetita in personâ alterius substituti, aut conjuncti: quod plenissime explicatum proponitur remissivè.
- 45 Anania sententiam contra Abbatem, intellexit. Eo modo, quo post alios Authores intellexit Molina magis communiter probari per Doctores, ut hoc n. adnotatur, & latius infra num. seqq. & num. 100. cum seqq. & num. 136. & seqq.
- 46 Authorem, postquam in hac materia quamplurimam evolvisset, & infinita, attentè, atque originali librorum omnium lectura prælegisset, (quod moris habet) nonnulla constituere necessarium dixit, quibus ipsa, absolute, & distincta magis, quàm antea erat, explicata manebit, ut num. seqq. constabit lectori.
- 47 Qualitates & circumstantias casuum occurrentium considerandas esse in hac materia repetita, vel non repetita qualitatis præcedentis, nec certam regulam dari posse, prout hoc numero adnotatur.
- 48 Voluntates hominum variæ, & diversæ sunt.
- 49 Cum possit testator cum dispositione legis se conformare, vel sua dispositione facere cessare provisionem illius, fæminas excludendo, vel non.
- 50 Possit etiam diversimodè suam dispositionem facere, aut generalem, aut specialem, aut limitativam & restrictivam, aut respicientem aliquod substantiale ipsius dispositionis, vel accidentale; aut expressam, vel tacitam.
- 51 Repetitionis inducendæ, vel non inducendæ disputacionem, totam conjecturalem esse, & præsumptam.
- 52 Sic, ut conjectura in hac materia fallacissima esse possint, cum non solum diversi in variis, & diversas trahantur sententias, sed etiam idem sibi non consent.
- 53 Idcirco, quamvis expressum dici soleat, ac etiam evidenter: & clare apparere id, quod ex conjecturis apparet, est, si verbis expressum non fuerit.
- 54 Et specialiter provisum dicatur, quod ex mente, aut intentione disponentis apparet per conjecturas.
- 55 Voluntatemque ex conjecturis collectam, expressant voluntatem dici, censuerint quamplures Authores.
- 56 Tamen, quia in conjecturanda, atque interpretanda defuncti voluntate sæpe decipimur.
- 57 Et mentem defuncti judicare difficilimum est.
- 58 Quia interpretatio voluntatis testatoris plena periculi est, & sæpe in illius cognitione errare solemus.
- 59 Et ambulare dicimur in tenebris, cum agimus de interpretanda mente testatoris, cum quo loquuti non sumus, & qui non potest modo mentem suam aperire.
- 60 Ac denique de mente hominis nullum certum est testimonium, quia soli Deo nota est; ideo magis inherenda verbis certis, quam menti imaginariæ, & non certæ.
- 61 Et quoties voluntas testatoris expressa non fuerit, aut clara; incerta potius, & obscura, atque conjecturata.

Joan. del Castillo Quotid. Controv. Juris, Tom. II.